

5. Quòd si nostra Doctrina tam potenter Argumenta contra Arianos evertit, ut contra Conscientiam fabulatur Pareus, scire cuperem, qui fiat tandem, quòd ex nostris Scholis & Ecclesiis, non tam facilis ad sceleratam istam Hæresin Arianam hætenus fuerit transitus? Ex Calvinistarum verò grege in distinctis Europæ Regnis, uno, quod dicitur, passu, tot celebres Antitrinitarii, ad Arianorum & Photinianorum castra defecerint? Nonne, quia hic cum Calvinianis sentiunt, Finitum non esse capax Infiniti? Inter Finitum & Infinitum, nullam posse esse *χωρίαν*? Christum Mariæ Filium non propriâ Virtute, sed Deum in ipso, quemadmodum in Prophetis & Apostolis, fecisse Miracula? Anne hæc non sunt Calvinianorum & ipsius quoque Patei Axiomata? Per quæ Satan sensim homines ducere novit, ut Filium Mariæ nudum Hominem esse tandem blasphemant? Annon Photiniani provocant hodie ad Scripta Calvinianorum? Unde Adamus Neuserus, Pastor olim Heidelbergensis primarius, ex Calvinismo ad Arianismum & tandem ad Mahumetismum progressus, ad Electorem Palatinum pertractus (uti ipse retulit) respondit: *Nisi Calvinianus factus essem, eò non devenissem*: & ut *ἀνολόγηται* ejus, (ex quo hæc describo) habet: *Si quis Argumentis ipsorum (Calvinianorum) utitur, & reipsâ fit Arianus, apertè & in specie docens hoc, quod ipsi (Calviniani) in genere: tum aut comburitur, aut capite plectitur*. Habent igitur Calviniani ex suis Antecessoribus, Lutheranorumne, an Calvinianorum proles sit Arianismus. Et hæc de XIV. Articulo.

ARTICULUS XV.

I. Quòd (*Calviniani*) Christum Hominem non adorent, nec adorandum doceant.

De Statu Controversiæ.
Aren. pag. 269.

II. ET hic Articulus, quoad Statum Controversiæ, propter *ὑπερβολήν*, Pareo consuetam, admodum lubricè proponitur.